


testimonium fuerit Solis uice Mercurij, habebit commoda à discipulis uel seruis, suis, uel ab hominibus, qui reguntur per eum, qui erunt ei boni & fideles.

Mercurius in reuolutione ad locum Veneris radicis transiens, cum habuerit testimonium in anno, significat quòd diliget & perquiret Rithmos, Fabulas, cantationes & uersus, & appetet stare in locis ludi, & solatiij. Et si Venus in anno testimonium habuerit, augebitur propter dignitatem officij regis, & omnia perquiret quibus se limpideat, ut pulcher appareat.

Si redierit Mercurius in reuolutione ad suum locum radicis, habens testimonium in anno fueritq; in aliquo angulorum in bono statu, augebitur natus in precio & ualore, habebit bonum & uenerabile nomen. Et si significationē habuerit in substantia, lucrabitur substantiam. Si in fratribus, habebūt eius fratres bnnū. Et hoc modo per omnes domos alias iudicabis. Et si damnatus uel infortunatus fuerit, malū & grauitatem significat, pro modo rei in qua significatio fuerit.

Cum iuerit Mercurius in reuolutione ad locum Lunæ radicis, & Luna testimonium in anno habuerit, itinera faciet, & habebit in illis causas cum inimicis suis & aduersarijs, uel habebit metum de inimicis. Et si testimonium Mercurij fuerit uice Lunæ, habebit bonum ex parte amicorum, pluresq; amicos lucrabitur, & prospere perficiet quæcunq; susceperit. Et si fuerit infortunatus, accident ei grauamina in prædictis.

De reditu Lunæ.

 Vm in reuolutione anni Luna peruenerit ad locū in quo fuit Saturnus in radice, & Luna testimonium habuerit in anno, uxorem natus duce t uetulam, uel aget cum ea. Et si cum hoc infortunata fuerit, accident ei causæ quibus impediēt se. Et si cum hoc infortunio significationem habuerit in anno in octaua domo, habebit metum moriendi illo anno.

Et si Saturnus testimonium habuerit, uenient ei mala noua à longinquis terris, quibus grauabitur, & dolebit.

Luna in reuolutione delata ad locum Iouis radicis, si habuerit Luna testimonium in anno, & fuerit in bono statu, ab infortunis libera, faciet natus itinera, & transibit per loca ubi erunt aquæ multæ, & habebit in itineribus ipsis bonum, & lucrū. Et si fuerit infortunata, accident ei grauamina, & infirmitates. Et si testimonium fuerit Iouis, & Luna eum aspexerit, nascetur ei filius.

Luna in reuolutione conuersa ad locum Martis radicis, si testimonium habuerit in anno in bono loco, & statu recepta, dominium habebit natus in quo metum habebit, & associabitur, cum hominibus armigeris, nascetur ei filius, uel filia, si fuerit aptus, ad sobolem procreandam, accident ei infirmitates calidæ, & humidæ, sicut de sanguine. Et si fuerit in malo statu, uel infortunata, hæ infirmitates maiores, & affixiores erunt, & accident ei grauamina ex parte regis, erit in metu moriendi illo anno, uel aliquis filiorum ipsius, si quos habuerit, Et si testimonium anni fuerit Martis, accident ei grauamina, & labores à rege, uel à magnis uiris, faciet itinera in quibus non habebit bonum. Et si Luna fuerit in prædicto statu, applicando in reuolutione ad locum in quo fuit Mars in radice, & postmodum iuncta fuerit cum eodem aliqua die illius anni, uel aspexerit eum dominus illius reuolutionis aliquo modo, perdet sanguinem illa die, maxime si Luna fuerit in ascendente, uel in signo applicationis, & Mars dominus illius anni, uel mensis, uel diei, quia tunc erit illa res affixior, firmior atq; maior, habebitq; causas, & grauamina, Idem significat quando illa hora aspexerit locum suum

Mm ij

Luna